Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Franciscvs Conf. 4. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

quà ſe ipſe ad carcerem ſuum beatum damnave-
rat, egredi antro poſſet; eodem tempore Martia-
nus ipſe inter famulas Cælitum manus delatus ad-
fuit; quo abeunte, cùm animo ſuſpicio præſtigia-
rum ſuboriretur, altero miraculo ruptæ compedes
facultatem dedêre ſpecu prodeundi, iterumque
Martiano loquendi. Ad extremum carnis etiam
vincula exuit anno ſupra quingenteſimum vigeſi-
mo ſecundo. *Ex Menæis.*

Antiquus hoſtis terrarum locis à tentatione non excluditur: quia ſi in Paradiſo hominem ſtravit, quis locus extra Paradiſum eſſe poteſt, in quo mentes hominũ penetrare non valeat? In ſola ergo Creatoris noſtri protectione fidendum eſt. S. Greg. l. 8. Regiſt. c. 45.

S. FRANCISCVS CONF. 4. *Octobris.*

Hic vir, hic, FRANCISCVS eſt, ſanctioris ſpes altera Romæ, & qui unà cum altero Atlante Dominico lapſurum orbem firmavit. Mercator adhuc fœnus facere etiam apud pauperes ſcivit, neque umquam pluris vendidit ſua, quàm cùm gratis dedit. Evocatus in ſomno ad arma cruce inſignita, cùm novam militiæ teſſeram non agnoſceret, ab ipſo Crucifixo eſt edoctus. Ducem itaque nudum Chriſtum ſecutus, primam pugnam (uti feſtinat fieri in hoc ſacro bello) cum patre habuit. Et vicit avaritiem paternam, cùm non tantùm omnibus bonis, ſed etiam veſtibus ſe coram Antiſtite exuit, illis verbis hoſtem proſternens: *Patrem hactenus te dixeram: nunc denique nihil intercedit, quin veriùs dicam, Pater noſter qui es in cælis.* Quis credat? Sic nudus tam denique armatum ſe probè credidit, & ſcriptis ſociis orbem ex-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pugnavit: expugnatum, ſi agnoſcimus, paupertate ſuâ ditavit. Porrò animi candorem in viro, ſcis Lector, nives probarunt, in quas ſe abjecit, & miratæ puritatem ſunt undæ, quibus calorem improbum merſit. De animi ejus ſubmiſſione quid dicam, & quo DEUM ardebat amore? Seraphinis à cælo ſociatus, & in ſede Angeli, quem ſuperbia inde exturbârat, locandus, ultimum ſe mortalium, ſed inter ſceleratos principem dixit. Mariæ addictum fuiſſe ille non dubitabit, qui noverit, quæ gaudia in ejus æde (de Portiunculâ dixerunt) abſtulit. Sed fruſtrà ſum. Herculem ego in hâc digitali tabellâ non pingo. Vin' compendium lector viri? Totum Chriſtum in Franciſco videbis, ſi vulnera ejus inſpicies. *Ex D. Bonav.*

O quàm glorioſum & magnum, habere in cælis patrem! ô quàm ſanctum, Paraclitum pulchrum & amabilem habere ſponſum! ô quàm ſanctum & & quantum delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce & amabile habere talem Fratrem, *qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis?* Ex Epiſt. S. Franciſci.

S. THERESA V. 5. *Octobris.*

QVid, heu! quid cum prætextatis verbis tibi prætextata malè turba? diſce, eia infantia rectè vel ab infante THERESA fari. *In æternum! in æternum! in æternum!* ah quoties balbutiens clamitavit! Nos ſcilicet puerilem ſenectam, non ſenem æternitatem in animo & linguâ gerimus, diſertiſſimi infantes. At THERESA parvula cum parvulo fratre domo paternâ aufugit, ad Mauros abitura & brevi morte longam æternitatem auſpicatura. Vivere tamen Deus illam, & ut viveret, quæ ferè mors eſt liberorum, mori matrem voluit.

Illa